

rations. Corpora reflectuntur, cum in Subiectum solidum impingunt, indeq; ob denegatum transitum resiliunt: sicut pilæ ad parietem illis evenire cernimus. Ita verò neutiqvam reflectuntur Accidentia, utpote quibus reflexio tantum per quandam Metaphoram adscribitur; dum propriè loquendo ea hanc repercussionem non efficiunt, sed corpora potiùs, in quæ pertingunt, alia numerò accidentia producunt. Illustrari quodammodò res Lunæ exemplò potest. Hæc enim cum maximam illam claritatem, quæ nocti præest, à seipsâ non habeat, à Sole, cui è regione est, eandem accipit. Et quoniam Luna alterâ parte est opaca, indeq; nec Lumini transitum concedit, in terram hoc ipsum reflectit. Ubi tamen hoc non propriè reflecti est, quia Luna tunc instar corporis lucidi se habet, lumenq; non tanquam à Sole acceptum, sed tanquam proprium in terram effundit. Idem de Parello iudicium esto. Recipit scilicet nubes, quæ altera parte opaca est, Solis imaginem, illamq; vel in aliam mittit nubem, vel ad nos spargit: verum ita, quasi novus Sol (ceu nonnullis etiam placuit) novas de se imagines produceret. Hæc enim novarum specierum productio, dum nobis reflexionis nomine venit, hanc non ut verà talem, sed ut hypothesein quandam Opticis concedimus; quales etiam plures Mathematici habent. Deniq; *Figura Rotunda* licet Parello conveniat, non tamen per se illam habet, sed ob lucidum illud corpus, Solem nimirum, qui figuram suam in corpore opaco repræsentat.

§. 9. *Accidens* itaq; cum Solis imago sit, *reale*, an verò *intentionale* nominari à Philosophis debeat? quæri potest. Ubi quidem ante omnia notandum, *reale triplici* cum primis modò hic accipi posse: dum (1) *ficto, sive entirationis*, (2) *Enti in potentia*, & (3) *Enti spiritali, seu intentionali* contradistingvi solet. Quoad primam acceptionem facilè largimur, *accidens reale* Solis imaginem esse. Non enim ficta, sed in natura, perinde ut Sol, Lux, Color &c. citra mentis operationem deprehenditur, cum vice versâ Cerberus, Chimæra, taliaq; plura, quoniam non nisi per intellectus operationem esse suum habent, non Entia realia, sed rationis salutentur. Nec inficiamur, quæ *secundam etiam significationem*